

52832

ANN. XXVI - FASC. XI

MENSE NOVEMBRI MCMXXXIX

republicae Polonicae ortas tutumque fundamentum ad diuturnam pacem posuisse: utilitati populorum omnium parem futuram actionem, si finis imponatur bello inter Germaniam, Angliam et Galliam exorto. Haec in oratione ad Germanos habita Hitlerus iteravit pacemque hostibus obtulit; qui, ex adverso, ob officia a se sumpta cum Polonico populo minime se considerare posse declararunt decretoriam eiusdem amici populi labefactionem; cuius quidem populi dissipatio per belli vim, non pacifice facta est: e novo rerum statu diuturnum bellum gigni posse, minime vero novum ordinem pacificum; se nullam pacem pacturos super Poloniae cadavere; optatam autem a Germania et a Russia pacem minime cum populorum commodis congruere, cupientium suae libertatis suorumque iurium securam tutelam, atque ideo remotionem rationum, quae civitatum libertatem atque imperium quolibet modo opprimant. Angliam addunt atque Galliam non pro Polonia tantum pugnare, sed, atque maxime, pro se ipsis; belli igitur eventus in caput eius recidant, qui eos concitavit, non hercle! illorum qui vim eorum repellere coguntur. Pacemne vere Germania desiderat? Vim repudiet, damna resarciat iniuria aliis populis inflata, datam fidem servet; documenta certaque vadimonia tradat bonae suae voluntatis. Ex quibus facile conicitur quae summa distractio inter duas partes heu! sit. Bellum vero usque nunc haud exitiose peractum est: navium enim interceptione circumscriptum dici potest.

Interim Russi rerum ulterius gerendrum tempus non dimitunt: Alba, quam vocant, Russia Ucrainaque regione sub sui iuris specie, sed «Sovietorum» more constitutis, ad Baltici maris provincias sese converterunt, cuius parvae civitates, Estonia nempe ac Lithuania, concedere coactae sunt, ut in statis insulis, portibus variisque locis Russi terrestrialium nava-

rium aërearumque copiarum suarum stationes ponerent: Finlandia huiusmodi defensionis, quae dicitur, auxiliis resistit, at quo exitu videbimus.

Notandum denique est, pactionem ab Anglia et Gallia cum Turcarum republica initam fuisse ad quamdam Mediterranei maris, orientem versus, tuitionem servandam.

Pii Pp. XII encyclicae litterae

Inter tot tantasque rerum lacrymas sollemnis Christi vicem in terris Gerentis vox attollitur, unam salutis viam universo orbi repetens. Primae enim encyclicae litterae a Pio XII inter bellorum tumultus datae in mentem revocant nullam de moribus doctrinam hominem ab officio eximere colendi atque observandi iura libertatesque ceterorum hominum, quippe singuli unius Providentis Dei filii sunt, qui eos in terris posuit, ut vitam in fraternitate vivant. Pontificia verba dum perfecte atque opportune aeterna Evangelii principia nova eaque fulgente luce collustrant circa urgentes acerbasque horum dierum quaestiones, eam praebent virtutem religionis, doctrinae sapientisque consilii apologeticam, ut omnium animos, qui recte sentiant, non possint intime non commovere. Utinam ad usum transfrantur!

Quidquid futurum fuerit, id stabit, Romanam aeternam non modo incorruptibilis ingenuaeque legis, sed civilium quoque officiorum civilisque progressus, veram custodem sese hodie etiam continuo ostendisse.

Kal. Novembr. MCMXXXIX.

POPICOLA.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

ALMA ROMA

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

Per.
Lat
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

VARIA

Poenam an obsequium magis necessarium sit ad regendam populi multitudinem.¹

Republica multiplici bello afflita, delecti imperatores erant Appius Claudius et Volumnius Consules; ille in Hetruriam, iste in Samnum. Appius, homo superbus et durus imperator, multa praelia locis et temporibus inquis commisit, nihil sciret aut fortunatae gessit; et iam prope erat, ut neque dux militibus, nec milites duci satis confiderent. Volumnius, humanus et erga militem benignus, rem tam feliciter gessit, ut ex sua provincia Appio in auxilium vocaretur. Quae cum ita sint, plus ad gubernandam populi multitudinem prodesse videtur humanitas et benevolentia, quam crudelitas. Sed Cornelius Tacitus, et alii etiam aliqui contrarium sentire videntur, quod dicant in multitudine regenda plus poenam quam obsequium valere. Ego vero censeo distinctione quadam opus esse hic, et quandoque severitatem poenamque magis esse necessariam, quandoque obsequium prodesse. Nam si gubernanda sit hominum multitudo, quae alioquin tibi subdita non sit, sed ex civibus tuis constet, quales erant cives Romani, qui eodem cum patriciis iure utebantur, eam benignitate potius atque obsequio gubernare decet, quam poenis coercere et cogere. Nec decebat igitur Romanos imperatores, quibus imperium ad certum tempus demandabatur, cives suos tanta acerbitate tractare, neque, si id conarentur, commode utiliter que faciebant, nisi excellens alicuius virtus tanta esset, ut eius severissimis imperiis omnes obediendum censerent, ut cum Manlio Torquato factum novimus. Qui subditis suis imperat in exercitu, ei ratio

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

habenda est ne insolentes fiant, et proinde poena tunc, quam obsequium, utilior; quae tamen interim ita moderata esse debet, ne odium conciliat, quod odium subditorum principi nunquam prodesse possit.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Puls ex floccis triticeis.

Lucanica Mutinensis lentibus circumfusa.

Minutal ex concisis oleribus.

Alaudae ad veru inter panis frustula assae.

Collyrides, ovorum cremo oppletae.

Locosa

TUCCIU S cum amico rixatur, iamque in eo sunt ut manus vicissim conserant. Tum Tucciu proterve adversario:
— Cede! — inquit.
— Neutiquam! — respondet alter.
— Neutiquamne? Atqui ostendere tibi volo me esse maiore animo praeditum. Cedo ego!

TUCCIU in schola:

MAGISTER: — Heus, Tucci, nuntia animal, quod lardum suppeditat.

TUCCIU sine cunctatione: — Salsamentarius!

Aenigmata

I

Sum crassus digitus, sed mutas si mihi finem, pura farina nota sum melioris ego.

II

Nomen idem teneo: mox sunt mihi grata [theatra

sontem mox in ius iudiciumque voco.


FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo propo- sita his respondent: 1) *Pictor-Pistor;* 2) *Collum-Colum.*

Ann. XXVI

Romae, mense Novembri MCMXXXIX

Fasc. XI



ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXIX est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano

ANIMI CERTAMEN

Carmen R. P. Victorii Genovesi S. I.

in certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXXXVIII magna laude ornatum

Nox atra

Ingruit atra polo nox! Nullum ridet amicum sidus vaganti obtutui fulgura dumtaxat discissa nube coruscant identidemque tetricum naturae retegunt vultum sub luce maligna.

O quam tremendus obsitti turbine conspectus caeli, cum signa minatur ultricis irae nuntia!

Nox animi gravior! Dira caligine mentem oppressus hinc spectaculum terrificum xysto late contemplor ab alto apprima congruens mihi.

Praeteritae revoco perfusus lumina fletu

beata vitae tempora,

cum puer astra poli cupidis speculabar ocellis,

me destinatum gaudiis

perpetuo fingens, ipsa Deitate nitentem.

Evanuit sed somnium!

Hei mihi, quae mentem tenebrarum dira pro-

[cella]

vexat meam? Miserrimus

ut vacuas caecus praetentat fulcra per umbras

frustraque prensat aëra,

sic ego spe cassus per mundi palor opaca,

incertus usque et avius.

Corruit omnino Verum fundamine ab ipso,

vitae tot inter aspera

tuta lucerna mihi; caecis circumferor umbris

squalente solitudine.

Hactenus heu, quorsus vixi? Quid profuit arcta sepsisse me custodia et virtutis iter prima carpisce iuventa?

Sirenibus quid blandulis deflexisse gradus? Animi cruciatus ineptus, Deo piamen irritum!

Virtus et pietas species rationis inanes et verba sunt sonantia, praetereaque nihil. Cur umbras perseguar ultra?

Quid mundus hic spectabilis? Quis Deus? aeterno fuit, an tantummodo mente excogitante fingitur?

Quis sum ego? Circumstans varius mihi dissimilans det orbis,

solum vel intus volvitur quod foris aspicio, caecaque incingor abyso numquam mihi meabili?

Ecce flunt oculi quae parent omnia ad ictum; aeterna nulla veritas; denegat adveniens, actum queis credit aevum,

Creante mente prodeunt quae ratio indagat, rebus quae exhausta putamus

Quod quisque comminiscitur, hoc verum, ex animo manans variabile semper, ut amnis unda deflui.

Quid loquor insanus? quas promo pectore voces?

Dira feror vertigine mentis inops! Omnes ergo tellure vagamur ignotus alter alteri,

humanumque genus vacuarum fallitur omne
imaginum ludibrium?
Quid tunc relligio? Frustra tibi, Christe, lo-
[quenti,
vitae magister, credidi?
Tu quoque sacrilegos siquidem non effugis
[ictus
novae furentis Scientiae.
Christe, quis es? Caecum cupio discindere ve-
[lum,
quo vita nostra obnubitur,
te super a teneris vertens ceu cardine cunis.
Iesu, quis es? Te noverim,
rursus ut inveniam dubiae fulcimina menti.
Desertus, heu, contabui!
Discrepat historiae factis tua dia figura
qualem ferunt credentia
carminibus, templis et pictis saecula tabellis?
Summone lapsus aethere
es Patris, aeterno genitum, mirabile Verbum,
mortalibus salutifer?
An sensim humana, dio decoratus honore,
erumpis e conscientia,
nec Deus es, Proles procedens aequa Parenti,
mortali amictus corpore
sed dumtaxat homo, pietas quem credula cinxit
divinitatis lumine?...
Quis malus haec genius mihi furtim dicta su-
[surrat?
Me prorsus hostis obsidet
haud dubium Stygius. Dum talia corde voluto,
spe destitutus langueo.
Quid superest? Omnis mens Veri deficit impos;
superna Fax extinguitur,
nescio quo posthac innitar! ad ultima veni!...
O candidae puertiae
prima Fides, iterum colluce clara vocanti
proculque differ nubila.
Rideat una mihi primaevi temporis hora
caelestibus solatiis
fota tuis! Nequeo sic porro ducere vitam
mundi meique nescius!

Sudum

Nubes imbriero blanda Favonii
everrere procul flamina ab aere,
rarescant tenebrae, conticet improbus
mugitusque tonitruum.
Eoo tremula vertice Lucifer
sudu luce micat. ... Tu pia spiritum
leni, stella, meum solis, amabilis
qua praenuncia diceris.

Ad Christum rutilans duxit ab ultimis
reges stella plagi. Si mihi fulgeat
e caelo pariter lumen et eximat
cura qua premor anxia!
Quae cantus animo dulciter insonat
echo ceu veteris? Non revocabilis
occurrunt memori temporis obvia
menti gaudia primula.
Natalis Domini nox erat, integrae
Jesseae ex utero Virginis editi:
late terra silet, dum manet excubans
Iesum plebs pia pupulum.
Actutum crepitant aera sonantia
tinnitu assiduo; stridet arundinum
per pagum sonitus; murmure carminum
aether undique perstrebit.
Iesum qui recubat stramine molliter
iam natum rigido turba fidelium
certatim properat visere et oscula
illi impingere blandula.
Alternis iterum mente recogito
cantus mellifluos quos puerilia
dicebant resonis agmina fistulis
ad cunabula squalida.

Nox rutilans

Diis clara nitoribus,
o Nox, pulcrior omnibus
quos sol dividit aureus,
fulges una diebus!

Terra nescia vomeris
miro germine floruit,
Ros caelensis et impluit
puram Virginis alvum.

Crystallum veluti ignea
Solis spicula cum meant,
pingunt mille coloribus
infractumque relinquent;

Sic mirabile lilyum
matris purius enitet,
Virgo sola puerperae
qua laetatur honore.

Ecce tempore nascitur
rerum Conditor omnium,
 spelunca iacet horrida
cui caelum patet amplum.

Paulum pone rigentia,
vente, flabra, tepentibus
mulce delicii mei
ora molliter auris.

Ille frigore contremet
foeno stratus in aspero,
fletu brachiola anxiae
tendens supplice matri.
Pupe, sume, tenellule,
quae munuscula porgimus,
arrideque micantibus
nobis blandus ocellis.

Haec puerile meum mulcebant carmina pe-
[ctus,
deque fide certus, quam me lactentibus annis
undisono docuit cunarum momine mater,
innocuam semper degi laetamque iuuentum.
Tunc ego certus eram Patrem super astra be-
[nignum
esse Deum, natis qui quos produxit amanter
providus usque cavet; qui terra apparuit ima
verus homo verusque Deus, miseratus atrociem
humanae sortem subolis; commune piavit
morte sua crimen, disrupt septa sepulcri,
victor et ascendit terra caeloque potitus
ad superas oras, rursus venturus in orbem,
impia cum certum complerint saecula cursum,
conspicuus populis, rex maiestate tremendum.
Tunc etiam plane fuerint quae exordia mundi,
unde humana fluat, quo tendat vita sciebam;
nota mihi pariter lacrimarum causa mearum,
speque poli fretus tranquilla mente ferebam
quod probus heic terris aerumnis saepe pre-
[matur,
caede cruentus agat plerumque impune trium-
[phum.

Omne sed ecce recens fallacis somnia mentis
iudicat imperitans ludis sapientia Verum.
Elysium felix, Erebi teterrima sedes,
relligio, Deus, imo etiam spectabilis orbis
historiaeque vices partus sunt mentis inanes.
Proinde quid officium? Conventum futile!
[Quisque
legifer arbitrio sibi. Ius fulciminis expers
omne ruit prorsus. Frustra terroribus angor. ...
Te colo et amplector, numen mihi, Terra, su-
[prenum!

Aurora

Mite aurora iubar roseis Orientis ab oris
rursus amica refert.
Turbine pacato, parent sublustribus umbris
humida rore iuga.

Oppiso volucrum luco festina salutat
turba canora diem.
Aera vocant pagum procera tinnula turri
fundere rite preces.
Somno mox placido plebes expurgata, Patrem
invocat ore Deum,
ipsius ut sanctum veneretur nomen ubique,
omnibus adveniat
paciferum mundo, felix post funera regnum;
Terrigenae pariter
ac Superae Mentes Eius mandata capessant;
pane benignus alat
quoque die natos; vitae condonet eisdem
crimina cuncta prius;
insidias praesens hostis profliget Averni
expeditaque malis.

Adsonat actutum puerorum vocula supplex:
Candida Mater, ave,
gratia quam penitus primo possedit ab ortu,
Tu, Benedicta, decus
feminei es sexus, Iesus mortalibus una
prodiit unde salus.
Sancta Maria, preces natorum blanda secunda
Unigenitamque roga
ut modo, praecipue at funus cum venerit atrum,
nos tueatur. Amen!

Has mea iucundas dum voces percipit auris,
num prece, corde fremens
sciscitor, incassum vulgus figmenta fatiget?
num simulacra suea
ludicra compellet mentis, sectetur et umbras?
Hac remorante fide
attamen ediscit duros perferre labores
pauperiemque pati.
Nam simul elusum se novit, cornua tollit,
impete in arma ruit,
diripit arva, domos, impletque tumultibus ur-
[bes,

iure pares ululans
quos eadem gignit tellus iterumque resorbet.
Cur tumet ille satur,
hic macie semper contra tabescit edaci?
Hac subiisse tenus
sat crudele iugum! Deinceps communia sunto
ut bona, sic opera!...
Praecipit haec animus, passimque incendia fu-
[mant
seditioque furit!
En nova quos profert fucata Scientia fructus,
certa negare Deum:

*principia evertit Verum queis nititur omne,
quamque superba colit
mancipat errori mentem semperque dolosis
ludit imaginibus;
ex animis abolet vitae spem dulce levamen,
barbariaeque, Deo,
foedere qui cunctos fraterno vincit, abacto
pandit iniqua viam.
Et tamen haec veluti colitur Sapientia; ludis
una magistra praeest!
Hanc ego delirae dicam rationis abortum
nec sequar insipiens.
Me senio stolidum versana redarguat aetas
ingenioque pigrum:
ipsius excipiam magno convicia risu.
Tu per opaca viae,
Dia Fides, gressus, maternis cantibus hausta,
ducere perge meos;
Tu dubium fulci, tu me solare dolentem,
spe meliore fove
lumina cum claudam, et rursus victura sepulcro
ossa tuere vigil.*

Dies

*Sol axe fulget! Purior undique
detersus aether claret ab imbris,
nimbo flagellati per agros
rurus hiant redolentque flores.
Natura vinci nescia, turbine
vexata frustra, vernat amoenior,
viresque, formidavit unde
damna sibi, vegetas resumit.
Spretum sophistis sic mihi graeculis
Sublime Verum clarius enitet,
caliginosa nocte primum
quod Bethelem rutilavit antro.
Odi superbi lumina saeculi!
Inventa narret mira; latentibus
se viribus iactet potum,
atque polo rapuisse fulmen;
dicat phlegraeis acta vaporibus
cursare pontum monstra natantia,
lembosque clam pestem carinis
aequoreas penetrasse abyssos.
Addat volantes dissociabili
iunxisse gentes aethere cymbulas
Picard globo sublime raptum
sidereas prope adisse sedes;
miretur auris credita liberis
quaes cantat oris vel gemit extimis
erraticus mortalis orbe
reddita scrinio loquaci.*

*Naves per aequor mox sine remige
lintresque sudo nare volatiles
apponet, unda destinatum
aetherea moderante cursum.
Plaudo repertis, quae mihi gloriam
produnt creantis Numinis omnia;
sed dura nequaquam resolvit
corda gelu reseratque tristis
aenigma mortis vana Scientia,
cum mentis excors garrit imagines
re destitutas omne Verum,
atque Deo Genitore natum,
rursumque natum Virgine denegat
Christum anteuntem lucis originem;
hoc Sole terris occidente,
quid superest nisi caecus horror?
Aeterne Iesu, tu Deus omnium,
qui vincis aevi dira silentia,
plorante praesens usque cantu
omne sequax resonante saeculum.
Frusta probroso gens tua funeri
te vovit! Alta vitor ab arbore
exhaustuanti tantum amore
succiduum tibi subdis orbem.
Testor madentes sanguine Martyrum
Circos, et actos immiserabiles
in vincla testor te professos,
propositae fidei tenaces.
In Te sed aetas credula fabulis
saevire pergit! Quo ruit impotens?
Quae facta mox instare toti
praecipio tremefactus orbi!
Te, Christe, clamo! Christe, revertere,
spes una mundi; Christe, revertere!
Tu devias errore mentes
subde tibi, revoca protertos,
firma labantes, Ductor et undique
res corruentes dirige publicas:
absente Te, mores residunt,
lex perit arbitriumque regnat!
Tu norma praesens una resolvere
quas vita praefert, illacrimabile
et funus ambages, et orbis,
spiritus et tumulo superstes.
In Te patescunt omnia! Sedulus
cultor frequentat te Sapientiae;
Mineidum¹ morem secutus,
lucifugus procul errat antris.*

¹ Cfr. OVID., Metam., L. IV. 3.**DE LATINI SERMONIS
NOTIS SINGULARIBUS¹****De verbis quae modo transitive, modo
intransitive construuntur.**

Multa verba modo transitiva sunt, modo
intransitive, pro casu quem regunt.

EXEMPLA: Britanni *virtutes* maiorum
suorum *aemulentur* (TAC., Agr., 15) —
Iis aemulamur qui ea habent quae nos
habere cupimus (CIC., Tusc., I, 19) —
Melius *ei cavere* volo quam ipse *aliis* so-
let (CIC., FAM., III, 1) — *Cave canem*
(PETR., Sat., 29) — *Consulo te* qui phi-
losophum audis (CIC., Fam., IX, 26) —
Prusias, rex Bithinia, consilium cepit
interficiendi Nicomedis filii, dum *consu-*
lere studet minoribus filiis (IUST., XXXIV,
4) — Agesilaus omnibus qui *a rege* Per-
sarum *defecerant* praesidio fuit (CORN.
NEP., Ag., 7) — Si tu, Eruci, tot et tanta
nactus es in reo, tempus *te citius*
quam oratio *deficeret* (CIC., Rosc. Am.,
32) — Promissis eum suis excitavit abie-
ctum, et simul *saluti desperare* vetuit
(CIC., Cen., 25) — *Pacem desperavi*
(CIC., Att., VII, 20) — Caesar centurio-
nes vehementer incusavit quod *de sua vir-*
tute et de ipsius diligentia desperarent
(CAES., Bel. gal., I, 40) — Si me *differs*
in tempus aliud, coram tecum loquar (CIC.,
Fam., V, 12) — Britanni non multum *a*
Gallica differunt consuetudine (CAES.,
Bel. gal., V, 14) — Hoc genus causae
cum superiore differt (CIC., Inv., 2, 30)
— Mnemon rex *indulsit dolori* (CORN.
NEP., Reg., 1) — *Ornamenta consularia*
procuratoribus Claudius *indulsit* (SUET.,
Cl., 24) — Filii mei eminens ingenium
sollicitam parentis *diligentiam merebatur*
(QUINT., 6, Praem.) — *Cogito me de re-*
publica meruisse optime (CIC., Att., X,
4) — *Debitum honorem patri praestitit*
(CIC., Phil., IX, 5) — *Zeuxis in humano*

¹ Cfr. fasc. sup

*corpo pingendo plurimum *aliis* *praesti-*
tit (CIC., Brut., 64) — Mons hominum
lacte et carne vescentium abunde *suffi-*
ciebat alimentis (TIT. LIV., XXIX, 31) —
Genus opum immortale manet: ipsae *re-*
gem parvosque quirites sufficiunt, aulas-
que et cerea regna refingunt (VERG.,
Georg., IV, 202).*

**Cuius sit actio ablativi absoluti in
passivo.**

Actio ablativi absoluti in passivo ple-
rumque est nominativi propositionis pri-
mariae.

EXEMPLA: *Caesar, exploratis regioni-*
bus, albente caelo, omnes copias castris
educit (CAES.) — *Mari prospecto, evo-*
lare cupio (CIC.) — *Hac oratione habita,*
discedit Ambiorix (CAES.) — Quidam
aiunt Themistoclem, quum taurum immo-
lavisset, excepsisse sanguinem patera et,
eo poto, mortuum concidisse (CIC.) —
Simul *his dictis, Camilla linquebat habe-*
nas, ad terram non sponte fluens (VERG.) —
Hostes maximo clamore insecuri, quasi
parta Victoria vallum ascendere coepe-
runt (CAES., Bel. gal., V, 44) — Caesar,
occupatis hostium castris, ingenti
praeda potitus est (CAES.) — Hannibal,
Alpibus superatis, in Italiam contendit —
Alexander, cum cura *sepultis militibus*,
quorum corpora invenerat, Persarum quo-
que nobilissimis eumdem honorem haberi
iubet (Q. C., III, 12) — *Iustis defuncto-*
rum corporibus solutis, praemittit ad capti-
vos qui nuntiarent ipsum venire inhibita-
que comitantium turba tabernaculum cum
Hephaestione intrat (Q. C., III, 12) —
Cyrus, *subacta Asia et universo Oriente*
in potestatem redacto, Scythis bellum in-
fert (IUST., I, 8) — Cyrus, *traiectis co-*
piis, quum aliquantis per in Scythiam pro-
cessisset, castra metatus est (IUST., I,
8) — *Amisso tanto exercitu et, quod gra-*
vius dolendum, unico filio, Tomyris orbi-
tatis dolorem non in lacrimas effudit, sed

in ultiōis solatia intendit (IUST., I, 8) — *Compositis in montibus insidiis*, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit (IUST., I, 8) — Propter ranarum muriumque multitudinem *relichto patriae solo*, sedes quaerebant (IUST., XV, 2) — *Facta pactione*, in societatem eos recepit (IUST., XV, 2).

I. Jss.

ROMA SACRA

SS. D. N. Pii PP. XII litterae encyclicheae ad Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos aliasque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus.¹

Summi Pontificatus dignitatem gravissimam que curas, arcano consilio suo a Deo Ipsius fuisse concreditas quadragesimo vertente anno, ex quo Leo Pp. XIII, superiore iam iam labente saeculo, proximeque adventante Anno Sacro, humani generis consecrationem divinissimo Cordi Iesu ubique terrarum agendum indixit, Ipse autem sacerdotale munus est auspiciatus, Pontifex in litterarum exordiis memorat; libentissime autem eodem redire sibi eam memoriam asserit, qui cultum *Regi regum et Domino dominantium*² debitum, quasi auspicalem precem vult esse pontificalis muneris Sui. Estoque idem cultus et principium, quo nituntur, et propositum, quo intendunt cum voluntas ac spes Eius tum doctrina ac pastoralis navitas, tum denique laborum aerumnarumque tolerantia, quam quidem ad Iesu Christi regnum propagandum unice devovet.

Quodsi externalum rerum casus interioraque animorum incrementa per quadriginta hos an-

¹ Die xx mens. Octobris p. e. SS. D. N. Pius PP. XII primas universo orbi Pontificatus sui encyclicheas litteras dedit. Insigne doctrinæ atque paternalae caritatis monumentum, par erat ut integrum et a nobis referretur; attentis vero commentarii nostri spati angustiis, ex iussa paginarum deminutione auctis, eas per partes, et hic illuc in compendium redactas, edere coacti sumus.

² Cf. *I Tim.* VI, 15; *Apoc.* XIX, 16.

nos habita sub luce aternitatis meditamus, atque hinc ortas amplitudines, illinc vero defectiones metimur, illa profecto humani generis Iesu Christo Regi dedicatio luculentius usque nobis praebet quantum sacrae significationis habeat, quid, quasi indito signo, hortetur omnes, ac quantopere eos purifcat, relevet, sancteque corroborando tueatur; itemque non minus luculenter oculis obversatur nostris quam sapientissime eadem enitatur universam hominum communitatem personare eiusque veri nominis prosperitatem provehere.

Ac quaenam, magis quam nostra aetas, hisce bonis indiguit? Quaenam, magis quam nostra, quamvis machinamentorum omne genus externarumque rerum progressionem protulerit, animi ieunitate intimaque egestate spiritus laboravit? Nihil igitur magis urget, quam nostrorum temporum hominibus *evangelizare investigabiles divitias Christi*.³ Nihil sane nobilis, quam divini Regis vexilla pandere ac sublime coram eis ventilare, qui fallacia signa subsecuti sint, atque ad victriem Crucem eos feliciter reducere, qui ab ea misere discesserint.

Afferat omnibus, in his rerum temporumque condicionibus, Iesu Christi Regis appetens festum divinae gratiae munera, quibus quidem mortalium animi evangelica virtute redintegrantur, et Christi Regnum usque quaque producatur ac virescat. Quod ad ferventissime celebrandum quum vehementer populorum ac nationum omnium fideles invitasset, prosequitur Pius: «Dum Encyclicas has Litteras, quas primas post initum Pontificatum edimus, sub Iesu Christi Regis signo atque auspicio fidentes sperantesque ponimus, pro certo habemus universum Dominicum gregem unanima impensisimaque consensione hoc esse prosecuturum. Quae aetate hac nostra experti sumus rerum discrimina anxitudinesque catholicorum hominum animos ad mutuam necessitudinem excitant, eiusdemque fraternalae necessitudinis sensum purificant magisque exacuant, quam fortasse nunquam alias; atque in iis omnibus, qui Deum esse credunt ac Iesum Christum sequuntur ducem ac magistrum, conscientiam reviviscere iubent commune periculum in universo una simul impendere minaciter. Mutuae huius catholicorum necessitudinis sensus,

³ *Eph.*, III, 8.

quem, ut diximus, periclitatae res tantopere auxere, quique mentes recolligendo confirmat futuraeque victoriae voluntatem alit, suavissima Nos delectatione summoque solacio iis diebus afficit, cum trepidi gressu, at Deo fidentes ad eam rite obtinendam Cathedram processimus, quam magnus Decessor Noster vacantem reliquerat. In praesens vero, dum vivida subit animum recordatio illius observantiae significationum, quae, — ut arctissimam cum Ecclesia et cum Iesu Christi Vicario filiorum coniunctionem testarentur — tum ad Nos ultra libenterque pervenerunt cum Summi Pontificatus apicem attigimus, eiusque insigne sollemni ritu accepimus, contineri non possumus quin vobis, Venerabiles Fratres, iisque omnibus, quotquot catholicam familiam participant, impensas persolvamus grates ob amoris, venerationis inconcussaeque fidelitatis testimonia undique Romano Pontifici attributa, in quo quidem Summi Sacerdotis Supremique Pastoris munus, Dei numine constitutum, agnoscebatur. Haec siquidem testimonia non humili personae Nostrae, sed nobilissimo gravissimoque officio unice deferebantur, ad cuius Nos onus subeundum Christus Dominus vocabat. Quodsi iam tum magnam accepti ponderis gravitatem experiebamur, quam summa potestas Nobis imposuerat prouidentissimi Dei nutu data, at maximo afficiebamur solacio, dum luculentissime testatam individuam cernebamus unitatem Catholicæ Ecclesiae, quae, quasi in vallum ac propugnaculum conformata, tum invictae Beati Patri arcí firmius arctiusque coniungitur, cum acrior increscit inimicorum Christi iactantia. Universa haec catholicæ unitatis ac fraternæ divinitusque inditæ populorum necessitudinis testificatio erga communem omnium Patrem, eo Nobis uberiorem videbatur feliciorumque spem afferre, quo formidolosiora in res in animosque impendebant tempora. Ac iucunda eiusmodi recordatio per primos Pontificatus Nostri menses suavissime Nos afficit, dum labores, sollicitudinesque perpeti ac discrimina superare necesse fuit, quibus mysticae Iesu Christi Sponsae iter contexitur. Ac praeterire silentio nolumus quam accepta Nobis fuerint eorum quoque omina ac vota, qui, etsi ad adspectabilem non pertinent Catholicæ Ecclesiae compagem, pro sua tamen ipsorum ingenita nobilitate sinceritateque

⁴ *Io.*, X, 10.
⁵ *Ps.* CXLIII, 15.

animi, id omne oblivione obrui noluere, quo vel ob amorem erga Christi personam, vel ob Dei fidem Nobiscum copulantur. Hi igitur omnes pergratae habeant voluntatis Nostræ significationem. Eos Nos singulos universos divinae committimus tutelae divinoque regimini; dum sollemniter asseveramus hoc uno Nos consilio moveri ac dirigi, Boni scilicet Pastoris exempla sedulo imitandi, ut omnes ad veri nominis felicitatem adducamus, utque omnes vitam habeant et abundantius habeant.⁴

«Ac singulari modo grati animi Nostri sensa heic profiteri cupimus Imperatoribus Regibusque augustis, summis civitatum moderatoribus publicisque magistratibus, qui, earum nationum nomine, quibus cum Apostolica Sede amicitiae vincula intercedunt, humanissimis observantiae officiis ea faustitate Nos prosequi voluere. Quarum in numerum, in primis hisce Encyclicis Litteris ad universos datis terrarum orbis populos, peculiari laetitia Italiam adscribere licet; Italiam dicimus, quae, quasi frugiferum catholicæ fidei viridarium ab Apostolorum Principe inventæ, post initum non sine providentis Dei consilio Lateranense conventum, honoris locum in iis civitatibus occupat, quae legitimis necessitudinum rationibus cum Romano Pontifice continentur. Ex passionibus hisce *pax Christi Italiae redditæ* veluti aurora feliciter effulsit, tranquillam fraternamque animorum coniunctionem praenuntians in sacris religionis rebus in civilique consertione; quae quidem pax, serenos semper referens dies, ut enixe Deum rogamus, Italorum gentis animos, qui tam prope Nobis adsunt, quique eodem, ac Nos, fruuntur vitae halitu, pervadat, recreet, augeat, intimaque indita vi corroboret. Supplici nempe adhibita prece, id ex animo ominamur, ut populus hic, Decessoribus Nostris Nobisque sane carissimus, præclaræ avitæ religionis facinora fidelitate summa repetens, ac divino praesidio tutus, magis in dies magisque veritatem experiatur a sacro Psalte hisce verbis declaratam: *Beatus populus, cui Dominus Deus eius.*⁵ Novus hic auspiciatissimus rerum ordo, in iuridicali ac spirituali causa statutus, quem eventus ille, indelebili per omne aevum memoria dignus, Italæ cunctæque catholicorum consortioni impertit

ac sollemniter sanxit, nunquam visus est Nobis tam magnam afferre animorum consensionem, quam cum primum ex externo elatoque Vaticanae Basilicae podio paternas Nostras pandentes atque extollentes manus, tum Romae, Summi Pontificatus sedi, dilectissimaeque urbi unde ortum duximus, tum Italiae icto foedere Catholicae Ecclesiae coniunctae, tum denique universis terrarum orbis populis effusa voluntate benediximus».

Utpote Christi Vicarius, nihil muneri suo suaequa aetati magis debere Pontifex profiteatur, quam «testimonium perhibere veritati». Hoc officium id necessario postulat ut errores hominumque culpas ita exponat ac refutet, ut iisdem perspectis ac cognitis fas sit medicinam curationemque praebere. Hoc autem in obeundo munere, non humanis terrenisque opinacionibus movebitur; itemque a suscepto proposito non diffidentiae, non discrepantiae, non denique repulsae causâ abstinebitur; neque Eum idecirco ab eiusmodi consiliis timor abstrahet, quod aut actio Eius aliorum cogitatione non percipiatur, aut falso dignoscatur. Verumtamen, hoc sollerter diligenterque persequens, paterna ea caritate compelletur, quae dum Eum iubet ob filiorum mala ac damna summa moestitia laborare, iubet itidem ut iisdem opportuna remedia praebeat, divinum illud Pastorum exemplar Christum Dominum imitatus qui lucem pariterque amorem pandit: *veritatem facientes in caritate.*⁶ Et addit: «Iamvero, nefastum illud facinus, quo Christum Dominum non pauci e suo Regno depellere annuntiuntur, veritatisque legem ab eo datae renunt, ac praecpta illius caritatis respunt, quae imperium eius quasi almo divinoque afflatu refovet atque corroborat, initium malorum est, quibus per primum ac praeceps iter ad spiritualem animorum indigentiam virtutisque inopiam nostra haec aetas collaboratur. Quamobrem Christum in regali suo solio revereri, eidem regiae potestatis iura agnoscer, idque efficere ut singuli universaque societas ad christiana veritatis caritatisque legem redeant, haec omnia solummodo possunt homines ad salutis viam revocare.

⁶ Eph. IV, 15.

«Dum has lineas exaramus, terrificus affertur Nobis nuntius nefandum iam belli incendium, quod enixe deprecari conati sumus, miserrime conflatum esse. Scriptorius calamus paene consistit, quandoquidem innumeritas recognitus eorum calamitates, qui usque adhuc in domestico suo ipsorum convictu quadam, etsi tenui ac modica, prosperitate laetabantur. Summa aegritudine paternus oppletur animus, dum ea omnia mente prospicimus, quae ex tenebricoso violentiae simultatisse semine oritura sunt, cui iam gladius cruentos facit sulcos. Attamen, quum ingruentes tot malorum acerbitates consideramus, ac vel maiores reformidamus in posterum, officii Nostri ducimus oculos animosque eorum, quibus proba adhuc inest voluntas, ad eum etiam atque etiam dirigere, a quo uno salus humano generi datur; ad eum, iniquimus, unum, cuius misericors ac praepotens manus tempestati huic finem imponere potest; ad eum denique unum, cuius veritas cuiusque amor intelligentias collustrare ac proposta incendere tot hominum possunt, qui errorum fluctibus suique ipsorum immoderati amoris aestu iactati ac discrepantiae luctationisque undis paene submersi, ad sanctissimum Iesu Christi regimen ad eiusque spiritum reducendi ac reformandi sunt.

«At forsitan sperare licet — quod quidem ut Deus optimus ad rem adducat precamur — fore ut miserrima haec tempora nostra cogitationes ac consilia multorum in melius commutari iubeant, qui fallacibus opinionibus tam late hodie diffusis caeca mente fidentes, inconsulte imprudenterque per iter incedebant dubium insidiarumque plenum. Ac multi, qui minime perpendebant quam valeret ac valeat pastorale Ecclesiae munus ad rite sancteque educandos animos, nunc forsitan eiusdem Ecclesiae monita, quae faciliore tutioreque tempore posthabuerant, magis intellegunt magisque aestimant. Praesentes igitur angustiae afflictissimaeque res christiana doctrinae praeccepta ita collaudant, ut id magis animos ad veritatem commovere possit, quam quod maxime. Siquidem ex ingenti istiusmodi errorum cumulo placitorumque colluvie, christianum nomen aversantium, tam venenosi maturuere fructus, ut opinionum earundem reprobationem indigent damnationemque constituant, cuius probativa vis quamlibet, ratione habitam, refutatio-

nem exsuperet. Interdum enim, cum spes de luditur ac fallitur, divina gratia trepidis animis arridet: *transitus Domini*⁷ percipitur; ac Redemptori ita alloquenti: *Ecce sto ad ostium et pulso*⁸ saepenumero ianuae reserantur, seclusus nunquam aperienda. Testis est Deus qua vehementi miseratione, quo sanctissimo gaudio ad eos animum convertamus Nostrum, qui, acerbos hos experientes luctus, salutare atque impellens ex praecordiis oriri sentiunt veritatis, iustitiae christianaque pacis desiderium. Verumtamen erga eos etiam, quibus superna nondum affulsere lumina, nihil aliud nisi amorem spirat animus Noster; ac labia Nostra supplices preces ad Deum admovent, ut eorum mentibus, quae Christum neglegunt vel contemnunt, aliquantulum illius lucis splendescere iubeat, quae olim Saulum in Paulum convertit, quaeque difficilioribus ipsis Ecclesiae temporibus arcanam vim suam exseruit».

Pergit deinde ad nostrorum temporum praecipios errores enucleandos, qui omnia ita transversum ad extrema usque adegerunt, ut nihil aliud nisi conturbatio ac ruina consequi posset: «Ac principio, compertum omnino est primum altioreque malorum fontem, quibus hodierna afflictatur civitas, ex eo scatere, quod universalis de morum probitate perngetur ac reiciatur norma, cum in privata singularum vita, tum in ipsa re publica atque in mutuis necessitudinum rationibus, quae inter gentes nationesque intercedunt; ipsa videlicet naturalis lex detrectatione oblivioneque obruitur. Haec naturalis lex veluti fundamento inititur Deo, omnipotenti omnium creatore ac patre, eodemque et supremo perfectissimoque legum latore et sapientissimo iustissimoque humanarum actionum vindice. Quum temere aeternum renuitur Numen, iam cuiuslibet honestatis principium labatur nutans, iamque naturae vox silet vel pedetemptim debilitatur, quae indoctos etiam ac vel eos edocet, qui nondum ad civilis cultus usum pervenerunt, quid fas sit, quid nefas, quid licet quidque non licet; eosque admonet se aliquando coram Supremo Iudice de bene maleque factis suis rationem esse reddituros.

«Ut profecto nostis, Venerabiles Fratres, ea de causa omnis in ordine morum probitatis

⁷ Cf. Exod., XII, 11.⁸ Apoc., III, 20.

fundamentum in Europa olim reici coptum est, quod homines non pauci a Iesu Christi doctrina abducti sunt, cuius Beati Petri cathedra custos est atque magistra. Qua quidem doctrinâ ita per revoluta saecula Europae populi coaluere christianoque spiritu conformati sunt, ut Cruce nobilitati, et humaniores cultioresque effecti, ad tam provectam publicae civilisque rei progressionem pervenirent, ut ceteras quoque gentes ac terras omne genus disciplinis excelerent. At quum ab inerranti Ecclesiae magisterio se vindicavissent plures a Nobis seiuncti fratres eo, proh dolor, processerunt, ut ipsam Servatoris nostri divinitatem, quod christiana doctrinae caput est ac veluti centrum, respundo subverterent, religionis conversionem dissolutionemque maturantes».

(Ad proximum numerum).

ANNALES

Europaeum discrimen

Poloniae re publica eversa, quod inter illam civitatem et Germaniam erat discrimen, id in occidentalem Europae partem manavit, namque Anglia simul et Gallia, apud quam Polonicae civitatis administratio se recepit, ex societatis cum Poloniae vinculis Germaniae bellum indixere. Germania interim et Russia quod Polonicum fuerat territorium, utpote propriam rem inter se diviserunt novosque fines constiterunt, per quos Vistula flumen omne in Germanico territorio perfluet; Russia ad septentriones Borussiam orientalem attinet, inferius suam faciet Galitiam integrum, Auctriacae quondam ditionis, ita ut continens Hungariae atque Rumeniae fiat, quae itaque nullos cum Germania in posterum fines habebit. Rebus ita dispositis nulla ratione populorum voluntatis habita, neque necessitatum singularum, et praesertim Polonicae, Germania atque Russia praedcant sese hac ratione ad certam regulam quaestiones exaequasse a labefactione